

neratione venerandum et tenendum est. Sed ita conjunctiona sunt hæc duo sacramenta, ut ab invicem nisi morte præveniente nullatenus possint segregari, et unum sine altero rite perici non potest. Nam unum (præveniente morte) salvare sine altero potest, aliud autem non potest. Unde scriptum est. *In diebus illis, dicit Dominus, effundam (1) de spiritu meo super omnem carnem (Joel. II)*. Advertamus summas divitias bonitatis Dei. Quod in confirmandis neophytis manus impositio tribuit singulis, hoc tunc Spiritus sancti descensio in credentium populos (al. *populo*) donavit universis. Sed quia diximus, quod manus impositio et confirmatio ad baptismi perfectionem pertineat, et qui jam regeneratus in Christo est, confirmare aliquid possit, forte cogitat sibi aliquis: quid mihi prodest post mysterium baptismatis mysterium confirmationis (al. *ministerium confirmantis*)? Aut quantum video, non totum de fonte suscepimus, si post fontem adjectione novi generis indigemus. Non ita dilectissimi. Attendat charitas vestra. Sicut exigit militaris ordo, ut cum imperator, quemcumque in militum receperit numerum, non solum signet receptum, sed etiam armis competentibus instruat pugnaturum: ita in baptizato benedictio illa munitio est. Dedisti militem, da ei adjumentum militiæ. Numquid prodest, si quisquam parentum magnam pupillo (al. *parvulo*) conferat facultatem, nisi providere studeat et tutorem? Itaque Paracletus regeneratis in Christo, custos et consolator et tutor est. Ideo dicit sermo divinus: *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam (Psal. cxxvi)*. Ergo Spiritus sanctus, qui super (*De consecr. dist. 5, Spiritus sanctus qui super*) aquas baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præstat ad gratiam. Et quia in hoc mundo tota ætate victuris, inter invisibiles hostes et pericula gradiendum est, in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam: in baptismo abluimur, post baptismum roboramur. At si continuo transitoris sufficiant regenerationis beneficia, victu-

(1) Eucherius, homilia de Pentecoste Eusebio Emisenseno passim, sed falso tributa: ejus auctor a quibusdam perhibetur Faustus. Hinc vero discat lector aurum latere plurimum in sarcinis nostri mercatoris.

ris tamen necessaria sunt confirmationis auxilia. Regeneratio per se salvat mox in pace beati sæculi recipiendos: confirmatio autem armat et instruit ad agones mundi hujus et prælia reservandos. Qui autem post baptismum cum acquisita innocentia immaculatus pervenit ad mortem, confirmatur morte, quia non potest peccare post mortem. Hic, si forte illud etiam requirere velimus, post passionem et resurrectionem Christi, quid apostolis profuerit adventus Spiritus sancti, ipse Dominus eis evidenter exponit. *Quæ dico, inquit, vobis, non potestis ea portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, ipse docebit vos omnem veritatem (Joan. xvi)*. Vides, quia cum Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prædicationem et constantiam dilatatur? Itaque ante descensionem Spiritus sancti, usque ad negationem, apostoli deterrentur: post visitationem vero ejus usque ad martyrium, contemptu salutis armantur. Secundum hoc per Christum redimimur, per Spiritum vero sanctum dono sapientiæ spiritualis illuminamur, ædificamur, erudimur, instrumur, consummamur, ut illam sancti Spiritus vocem audire possimus: *Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac qua gradieris (Psal. xxxi)*. De Spiritu sancto accipimus, ut spirituales efficiamur, quia animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei (I Cor. II). De Spiritu sancto accipimus, ut sapiamus inter bonum malumque discernere, justa diligere, injusta respuere, ut malitiæ ac superbiæ repugnemus, ut luxuriæ ac diversis illecebris, et fœdis indignisque cupiditatibus resistamus. De Spiritu sancto accipimus vitæ amorem et gloriæ ardorem, ut succensi divinitus, erigere a terrenis mentem ad superna et divina valeamus (1).

III.

Jejunium vero dominici diei (2) et quintæ feriæ nemo celebrare debet, ut inter jejunium Christianorum et Gentilium, veraciter credentium atque infidelium et hæreticorum, vera et non falsa discretio, habeatur. Unde scriptum est. *Quæ pars Christi ad Belial? aut quæ pars fidei cum infidei? Quæ autem participatio justitiæ cum iniquitate (II Cor., vi)*. Et

(1) Hæc usque Orator quisquis fuit Gallicana facundia præstans.

(2) Const. quæ dicuntur apostolorum, lib. V, cap. ult. supra.

NOTÆ SEVERINI BINI.

libuit: ex qua prohibitione, cum scandalum ortum esse videret, sic prædicto loco scribit: « Nos quidem secundum usum veterem ecclesiæ nostræ fecimus, sed si omnino hæc de re aliqui contristantur, ubi episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos (*impressi omnes corrupte legunt, baptizandos*) chrismate tingere debeant. » Unde conc. Florent. in decr. Eugenii, solum episcopum posse conferre eam unctionem, quæ est confirmationis sacramentum, subdit: « Legitur tamen aliquando per apostolicæ sedis dispensationem ex rationabili et urgente admodum causa simplicem sacerdotem chrismate per episcopum confecto hoc administrasse confirmationis sacramentum. » Qua dispensatione nihil juris divini immutari, pulchre declarant Bell. et Suarez de sacram. confirm. ministro, apud quos plura hæc de re videre poteris.

Confirmatio ad baptismi perfectionem pertinet. Confirmatio appellatur perfectio baptismi non tantum hoc loco, verum etiam in concilio Eliberitano, c. 77, item a Dionysio Areop. de ecclesiastica Hierar. c. 4, p. 3, illius capituli, ubi eam, Divinæ generationis sacrosanctam perfectionem appellat. Ambros., lib. II de Sacr. cap. 2, eandem nominat, Spirituale signaculum, quod post fontem superest, ut perfectio fiat. Non sane, quod baptismus extra confirmationem nihil gratiæ tribuat, aut baptizati peccatum plene ac perfecte non tollat, sed quod per confirmationem baptizato augmentum et robur gratiæ superaddatur ad fidem in baptismo susceptam constanter proficuum. Suarez., tom. II, disput. 34, de confirmatione sect. 2.

Jejunium dominici diei. Vide quæ diximus in notis can. apost. 65, et aliorum. 3

iterum. Nolite jugum ducere cum infidelibus (II Cor. vi). De cætero, fratres, videte, ne quis vos decipiat inanibus verbis, neque per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum: quia in Christo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis, in quo et circumcisi estis circumcisione, non manufacta, in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi, consepulti ei in baptismo, in quo resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis. Et vos, cum mortui essetis in delictis et præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod adversum vos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, et affigens illud cruci, expolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. Nemo ergo vos judicet in cibo et potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum: corpus autem Christi. Nemo vos seducat volens in humilitate et religione angelorum, quæ non vidit, ambulans frustra, inflatus sensu carnis suæ, et non tenens caput, ex quo totum corpus per (Vulg. nexvs et conjunctiones) nexum et conjunctionem subministratum et constructum, crescit in augmentum fidei. Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi, quid adhuc tamquam viventes in mundo decernitis? Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contractaveritis, quæ sunt omnia in interitum ipso usu, secundum præcepta et doctrinas hominum, quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ, in superstitione et humilitate, et non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis (Coloss., II). Igitur si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. Mor-

tificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus, propter quæ venit ira Dei in filios incredulitatis, in quibus et vos ambulastis atiquando, cum viveretis cum illis. Nunc autem deponite et vos omnem (Vulg. omnia) iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus qui creavit eum, ut ubi non est Judæus et gentilis, circumcisio et præputium, barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus. Induite ergo vos sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam: sicut et Christus donavit vobis, ita et vos. Super autem omnia hæc charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis. Et pax Christi vigeat in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore, et grati estote. Verbum Dei habitat in vobis abundanter, in omni sapientia docentes et commonescentes vosmetipsos psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi facite, gratias agentes Deo et patri per ipsum (Colos., III). Vos, charissimi, nolite deficere benefarientes. Quod si aliquis fuerit, qui non obedierit verbis apostolicis, hunc notate, et non commisceamini cum illo, ut confundatur. Et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem (II Thess., III). Deus autem pacis det vobis idipsum sapere in alterutrum, et in omnes, et ipse sit semper vobiscum in omni loco. Amen (Rom., XV). Data Kalendis Martii, Volusiano (1) et Rufino viris clarissimis consulibus.

(1) Anno 514, quo jam a 5 fere mensibus obierat Melchisedes, die 10 dec. an. 515.

SYLLABUS RERUM QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

LUCI CÆCILII FIRMIANI LACTANTII DE OFFICIO DEI, VEL FORMATIONE HOMINIS, LIBER, AD DEMETRIANUM AUDITOREM SUUM.	9
Caput primum. — Proœmium et adhortatio ad Demetrianum.	Ibid.
Cap. II. — De generatione belluarum et hominis.	14
Cap. III. — De conditione pecudum et hominis.	16
Cap. IV. — De imbecillitate hominis.	20
Cap. V. — De figuris animalium et membris.	24
Cap. VI. — De Epicuri errore; et de membris eorumque usu.	27
Cap. VII. — De omnibus corporis partibus.	20
Cap. VIII. — De hominis partibus, oculis et auribus.	55
Cap. IX. — De sensibus eorumque vi.	59
Cap. X. — De exterioribus hominis membris, eorumque usu.	40
Cap. XI. — De intestinis in homine, eorumque usu.	48

Cap. XII. — De utero et conceptione, atque sexibus.	53
Cap. XIII. — De membris inferioribus.	58
Cap. XIV. — De intestinorum quorundam ignota ratione.	60
Cap. XV. — De voce.	62
Cap. XVI. — De mente et ejus sede.	64
Cap. XVII. — De anima, deque ea sententia philosophorum.	68
Cap. XVIII. — De anima et animo, eorumque affectionibus.	70
Cap. XIX. — De anima eaque a Deo data.	75
Cap. XX. — De seipso et veritate.	76
Analysis libri de Ira Dei.	77
LIBER DE IRA DEI AD DONATUM.	79
Caput primum. — De sapientia divina et humana.	Ibid.
Cap. II. — De veritate, deque ejus gradibus, atque de Deo.	81